

vocem posset et os et hypocrisin: eosdem enim versus ipso pronuntiante bene sonare, sine illo inanes esse mutosque. Aeneidos vixdum coeptae tanta extitit fama, ut Sextus Pro- 100 pertius non dubitaverit sic praedicare [II, 34, 65]:

‘cedite Romani scriptores, cedite Grai:
nescio quid maius nascitur Iliade’ —

Augustus vero — nam forte expeditione Cantabrica aberat — supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris 105 efflagitaret, ‘ut sibi de Aeneide’, ut ipsius verba sunt, ‘vel prima carminis ὑπογραφή vel quodlibet κῶλον mitteretur.’ cui tamen multo post perfectaue demum materia tres omnino libros recitavit, secundum quartum sextum. sed hunc notabili Octaviae adfectione, quae cum recitationi interesset, 110 ad illos de filio suo versus [*Aen.* VI, 884]: ‘tu Marcellus eris’, defecisse fertur atque aegre fociata est. recitavit et pluribus, sed neque frequenter et ea fere de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotem librarium et libertum eius exactae iam senectutis tradunt re- 115 ferre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore. nam cum hactenus haberet [*Aen.* VI, 164]: ‘Misenum Aeoliden’, adiecisse: ‘quo non praestantior alter’, item huic [*Aen.* VI, 165]: ‘aere ciere viros’, simili calore iactatum subiunxisse: ‘martemque accen- 120 dere cantu’, statimque sibi imperasse ut utrumque volumini adscriberet.

anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere

anno etatis LII inpositurus Aeneidi summam manum 123 statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque con-